Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793
Seite 627
Quelle:
Copyright:

ffinitus feria quarta ante dominicam Esto michi. Anno domini. M°. CCCC°. XXXIX. Johannes Rull. et *Tabula* sive Conspectus omnium Titulorum.

Errorem, quem in *Ferd. Ughellii* Catalogo Epp. *Sabinensium Lambecius suprac.* notarat, in nova *Italiae Sacrae* editione correctum non fuisse, dolendum est.

CCI. VII. E. 17.

335 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 122. f. nitidissime scriptus, fronte, Librorumque initiis auro, coloribusque illustris continet S. *Ambrosii Mediolanensis* Episcopi Libros III. de Officiis hac inscriptione: *Incipit Liber. S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi de Officiis.* Initium est: *Non arrogans videri arbitror si inter filios* &c. Textus collatus cum edit. *Maur. Paris.* 1690. T. II. *col.* 1. valde sincerus est. Possessorem ultimum habuit *Joh. Sambucum*, ad quem e direpta famosissima *Matthiae Corvini Hung.* Regis Bibliotheca *Budensi* devenerit; cum enim in Frontis imo Scutum gentilitium *Aragoniae* praeferat, vix dubitem inter *κειμηλια Beatricis Neapolitanae*, cujus Pater *Ferdinandus I. Alphonsi V. Arag.* Regis filius fuit, ad *Matthiam* Sponsum delatum fuisse.

CCII. VI. F. 11.

Codex chartaceus immixtis 814
paucis membranis Sec. XIV. et XV. Folior. 160. 8. non una manu exaratus et rubricis distinctus Συλλογην Opusculorum complectitur, quam percensebimus. I. *Incipit Liber Sancti Ambrosij de fuga seculi.* Initium: *Frequens nobis de effugiendo seculo isto est sermo, atque vtinam quam difficilis sermo tam cautus et sollicitus affectus* &c. Textus mendis non caret, ut vel το *difficilis* pro *facilis* ostendit; variis tamen locis refectus est. Extat edit. *Maur. Paris.* 1686. T. I. *col.* 417. f.

II. *fol.* 34. Versiculi, de quibus in Elencho *Codici* praefixo: *Liber metricus de contemptu mundi editus a quodam de ordine predicatorum quem ad fratrem suum Cardinalem misit.* Ingressus est ejusmodi:

Cartula nostra tibi mandat dilecte salutes
Plura videbis ibi si non mea dona refutes &c.

Non contentus Artifex rhythmos suos ita variat:

Non modo leteris quia forsan cras morieris.
Per nullam sortem poteris depellere mortem &c.

Et